Viro vere Docto,

Dom. *Lucæ Rudgeley*,

Medicinæ Doctori Expertiſſimo, Amico ſuo plurimum Honorando.

S. P. D.

MULTI ſunt de Literato orbe qui veritates *Medico-Cymicas* ſtrenuè propugnarunt, tu tamen (*Mæcenas Ampliſſime*) ſupra omnes Caput efferens, te *Philalethen* Candidum, Inveſtigatorem ſerium & ſolidum; veritatum demonſtrationi innitentium deamatorem & vindicatorem, præ reliquis, demonſtraſti: Cujus virtus Omnigena, Animi dotes eximiæ & ſuper-

eminentes, cum à natura insitæ, tum industria acquisitæ, amplissimam tibi famam multâ temporis vetustate indelebilem meritò acquisiverunt. Exquisita illa *Physiologiæ* peritia, quâ polles; & Experientia *Pyrotechnica*, quâ duce tantarum rerum scientiam nactus es; arctissimo societatis vinculo, connexa, mutuas copias conjungunt, ut te *Spagyricum* versatissimum, & verum *Philosophum per ignem*, pleno ore prædicent; qui ex ingenii acumine, Ratione consummatâ, & accurata corporum mixtorum disquisitione & resolutione in qua exercenda jam *veteranus es miles*, jam olim, immo & in hunc usque diem, annuentibus omnium suffragiis, aptissimus designeris, qui judices quid noxium, quid superfluum in quolibet concrete conclusum latitet. Tu ipse inter Mille Unus es, qui ope ignis, & assiduâ in rebus *Chymicis* Encheiresi, *Machaoniam* nostram artem, ad tam-

miran-

mirandam *Entelecheiam*, & sublime perfectionis fastigium, evexisti, ut jam inter Sydera fulgeat; & clariori Jubare coruscans, non solum Ideas Morbificas dispellere & profligare, sed & ipsa morborum principia seminalia radicitus extirpare queat. Unde liquidò constat te illum esse *Archiatrum*, in quem Omnipotens noster Gubernator hanc dignitatem contulit, ut Reliqui Mortalium te honore & reverentiâ (quâ par est) prosequantur, tanquam Deo in *Regno Naturæ* ministrantem. Quapropter cum me ex officio tibi devinctum sentirem, & etiam cum singularem & omnigenam tuam eruditionem, & egregias illas animi dotes, quarum supellectile multiformi instructus fueris, vehementissime deperirem, non potis eram memet ipsum continere, quin libertatem hanc & audaciam mihi arriperem, ut tibi, quoque nomini, hasce industriæ nostræ & laboris assidui pri-

mitias humillime sacrum facerem. Et sane non aliud, ex benigna tua bonitate mihi concessum velim, quam ut instituto huic nostro propitius faveas, ut & partes nostras in tantum tueri digneris, in quantum quæ hic scriptioni mandavimus Veritati & Naturæ legibus consona videbuntur; novi enim satis quantum hæc tibi Cordi sint, & hæc sola, nec alium tibi unquam fuisse *lapidem lydium*, apud quem omnia examini subjiceres.

Tractatus hic Pusillus (quem Tutelæ & Censuræ tuæ oblatum velim) non aliud fere continet quam experientiam nostram *Practicam* in affectibus humano generi incidentibus feliciter curandis; quorum tamen *Theoriam* (ad *Praxin* usque adeo necessariam) minime omisimus, sed eorum *Nomina Naturas*, *Signa*, *Causas*, & *Terminationes* fideliter Delineavimus, in quibusdam à vulgari tramite recedere non dubitantes. Pars

Pars *Pharmaceutica* remediis quoad maximam partem *Chymicis* Locupletatur, quorum operationi & efficaciæ integrum Curationis Opus sæpe confido; intercedit enim affinitas quædam, & consanguinitas, inter hæc & Syntheſin seu constitutionem Spirituum Vitalium & Animalium, qui soli sunt immediati Animæ Ministri Naturæ suppetias ferentes; quorum puta ope ipsa omnia morborum genera profligare satagit: Nam (sicut ait Ingeniosissimus *Helmontius*, venerabilis ille naturæ Antistes) *Natura est morborum medicatrix.* Et huic quidem Authori in Experimentis *Pyrotechnicis*, me plurima debere fateor, quem etiam tumetipse pro *Chymico Evangelista* habes, & Observantiâ & Veneratione summâ continuo prosequeris. Ille dum inter vivos aderat, vitam tuæ parallelam agebat; quemadmodum enim ille suo sæculo, ita es tu qui nobis (nostro com-

commodo) contemporaneus es, propter excelsas & singulares Virtutes, in altiori gradu collocatus es, & in orbe superiori moves, non ut honorem & gloriam inanem ab aliis Captes, (licet ab omnibus demereris) sed ut indigis levamen & opem feras, insciis & ignaris lumen & cognitionem impertiaris, & mundum hunc cæcum & ratione destitutum certiorem faceres de extrema illa Benevolentia & amore quâ ejus cives prosequeris, omnium saluti impensam navans operam.

Cum itaque, (*Mæcenas Amplissime*) seriùs animo volutarem cujus amicitiæ & Patrocinio rudem hunc ingenii nostri fætum in lucem proditurum concrederem, nullus mihi, aut Cogitationibus meis, se afferebat tibi par, qui tam prolixo honore dignus, & de re literaria tanta meritus fueris, ut tu solus judex sis idoneus, qui sententiam feras de veritate nostri instituti: Est quod itaque

que te humillime & obnixe rogatum habeam, ut nostræ huic temeritati facilis ignoscas, & Levidensehoc Munusculum Benignus accipias, non quale vellem & optassem, sed quale pro ingenii nostri tenuitate offerre licuit; non Rhetorices pigmentis illitum, (nos enim verborum flosculos præ oculis non habuimus; sed nudam veritatem experientiæ innitentem ingenuè tradidimus) hâc tamen spe fultam quod si quæ perspexeris σφάλματα pro consueto tuo candore & animi facilitate tacitus prætermittas, & me excusatum habeas. ——— Proinde noster hic libellus tuis auspiciis innitens securus publici juris evadit; cujus tutelam ut amicè suscipias, humillimè & obnixè rogat

Humillimus tuus servus,

Jos. Jackson.